

concedendas, et specialiter donationes karissimi avi nostri Friderici imperatoris ac progenitorum nostrorum concessas favorabiliter et gratiose speciali munere, nostri principatus potestate, bona voluntate et mera liberalitate gratas et ratas habere volumus, nihilominus ipsam in eisdem conservare bona fide promittimus in his scriptis, tanto efficacius eiusdem ecclesiae promotionibus insudantes, ut reformatione diligenti ea quae in laesionem ipsius per nostros advocatos olim perpetrata dinoscuntur, fideliter et diligentius reformentur. In cuius rei certitudinem amplioem praesens scriptum conscribi fecimus et sigilli nostri robore firmiter communiri, praesentibus nobilibus viris Her. et Heinricho comitibus de Orlamunde sororiis nostris dilectis, Meinhero buregravio Misnensi, magistro Walthero nostrae curiae prothonotario et aliis quam pluribus fide dignis. Datum Misnae anno domini millesimo CCC°. VIII°. XII°. Kalendas Septembris.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem beschädigten Reitersiegel des Markgrafen an einem Pergamentstreifen.

No. 343. 1308. 19. Oct.

*Probst Heinrich entscheidet einen Streit zwischen dem Vicar H. von Pegau und Joh. von Grellenhain dahin, dass letzterer sein Lehn zu Sahlassan von ersterem zu empfangen habe.*

In nomine domini amen. Constitutis in iudicio coram nobis H. dei gratia praeposito ecclesiae Misnensis, H. de Pygauia eiusdem ecclesiae perpetuo vicario parte ex una, et Jo. de Grellenhain ex altera, dictus H. proposuit, quod cum villa Zalesen ad eum cum omni iure et utilitate ratione suae vicariae pertineret, ipse Jo. de Grellenhain feodum suum in eadem villa situm ab eo recipere debeat et tenere, petens ad hoc ipsum in iure et de iure compelli, offerens se ius suum per privilegia probaturum; ipse vero Jo. de Grellenhain ad hoc se teneri negabat asserens, quod ab episcopo Misnensi suum feodum tenere debeat. Ad quod probandum etiam se optulit seu adstrinxit, et sic lite legitime contestata coram nobis terminum eis assignavimus competentem, ad docendum quidquid uterque iuris haberet. In quo termino H. de Pygauia produxit privilegia, per quae patet ipsum suam intencionem legitime fundavisse, adversario suo penitus nil probante. Habito igitur consilio sapientum, sicut ipse H. de Pygauia per sua privilegia docuit, ita dei nomine invocato ipsum plenum ius habere in villa Zalesen et praedictum Jo. de Grellenhain feodum suum ab eo tenere debere diffinitive sententiamus et sententia-liter pronunciamus in his scriptis. Lata est haec sententia anno domini M°.CCC°.VIII°. in crastino sancti Lucae praesentibus dominis C. de Strelle praeposito Budesinensi, domino Wi. praeposito Wurcinensi, domino Vl. de Diben canonico ecclesiae Misnensis, H. plebano de Owa, P. capellano domini de Luppe, domino Ni. plebano de sancto Laurentio et pluribus aliis fide dignis. In cuius rei testimonium praesens scriptum eidem H. de Pygauia dedimus nostri sigilli munimine roboratum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; mit dem beschädigten Siegel an einem von der Urkunde zum Theil abgeschnittenen Pergamentstreifen.